

SECTIO II.

DE POTESTATE CIVILI

EVVSQVE AD ECCLESIAM HABITV.

CAPVT I.

DE POTESTATE CIVILI

IN SE SPECTATA.

§. XCIII.

Quid potestatis civilis nomine veniat?

Duae sunt supremae potestates, quae unicuique christianorum coetui praeresident, sacra et civilis (§. LXXXVIII. LXXXIX.). De illa diximus sectione superiore. Restat altera hoc nobis loco curias evolvenda. *Civitatis nomine etiam intelligo hominum sui iuris multitudinem, quae sub communi quadam imperio in unam coit societatem causa securitatis.* Nulla igitur civitas est sine imperio, seu iure actiones civium arbitrarias ad communem securitatem tam internam quam externam dirigendi: quod ius etiam maiestas appellatur, et *tura*, quae imperio civili insunt, *majestatica*. Is, cui in civitate maiestas competit, *imperans* dicitur.

SCHOL. De summo civitatis imperio iuribusque huic adnexis pro dignitate exponere, nec huius loci est, nec consilii mei. Habet haec disciplina magistros suos, a quibus qui volent (velle autem debent omnes, qui utiles se olim patriae cives praestare cupiunt) eam disce-

re

CAPVT I.

153

re possunt: Quae a studio nostro abesse omnino nequeunt doctrinae istius dogmata, ea mihi dumtaxat animus est hoc loco prosequi, et sacrarum litterarum sacerdotumque Patrum firmare auctoritatem, ut intelligat junior actas, vanas esse criminationes hominum, qui id sibi datum negotii solum putant, ut quae nesciunt ipsi, aut privatae rei studio capti aversantur, dum refellere non possunt, de novitate accusant, suspecta plerisque in rebus, ut fere aiunt, et ingrata maxime in causa religionis.

§. XCIV.

Civilem potestatem a Deo institutam probatur.

Ex ea, quam nuper instituimus duarum potestatum collatione (§. LXXIX.), confici egregie possunt complura ad civilis imperii maiestatem illustrandam perdonea. Atque hoc in primis, quod ipsa etiam naturalis ratio docet¹, civilem Regum potestatem perinde a Deo institutam esse ac spiritualem Pontificum. Quod principatus sint, ait *S. Chrysostomus*², et quod alii imperarent, alii subiecti sint, neque omnia casu ac temere fervantur, populis quasi fluitibus hinc et inde circumfluis, divinae esse sapientiae dico. Ideo::: dixit *Apostolus*: Non est potestas nisi a Deo. Similiter *Iordanus Pseudo*, potestatem, inquit³, hoc est, imperium et regnum a Deo formatum atque institutum esse profitemendum est, ut ne ornatus in statum inornatum degeneret. In eamdem sententiam *Theodoreetus Cyri Episcopus*⁴: Deus communis ordinis curam gerens hos quidem imperare, illos vero parere instituit, voluti quoddam

V

fre-

¹ *Irenaeus lib. 5. cap. 20. 24.*² *Homil. 23. in epist. ad Rom.*³ *Lib. 2. epist. 216.*⁴ *In epist. ad Rom.*

SECTIO II.

frenum iis, qui iniuste agunt, imperium timorem
incutunt. Adeo vero persussum hoc sanctis Patribus fuit,
ut eam plerique non institutam modo divino consilio,
verum etiam conferri singulis tam piis quam impensis re-
gibus, et crederent ipsi et docerent. Ut ceteros pae-
termittam, Augustinus hoc in libris de civitate Dei con-
cepitis verbis adseruit ¹: Non tribuamus dandi regni
atque imperii potestatem nisi Deo vero, qui dat felicitatem in regno cōglorum solis piis; regnum vero ter-
renum et piis et impensis ::: Qui Augusto imperium de-
dit, ipse et Neroni; qui Vespasianus suavissimis Im-
peratoribus, ipse et Domitiano crudelissimo: et ne per
singulos ire necesse sit, qui Constantino christiano, ipse
apostatae Iuliano. Non ineleganter itaque Tertullianus ²: Inde est Imperator, unde et homo antequam
Imperator, inde potestas illi, unde et spiritus.

SCHOL. Nolo ire per omnia veterum scripta, inquit
de Marca de concord. sacerd. et imper. lib. 2. cap. 2. §. 2.
ut rem apud illos certissimam probationibus inde hau-
stis evincam adversus eas opiniones, quae in Aristote-
lis officiis conflatae, magno studio etiam a christia-
nis arreptae sunt, ut maximum discrimen ex eo capi-
te constitueretur inter potestatem ecclesiasticam et re-
giām; quum illa ab ipso Christo per munis ordinatio-
nis conseratur Episcopis, qui ante suffragiis cleri
et populi sunt electi; haec autem a populis per suffra-
gia in Principem electum transcribi dicatur. Par enim
utrique ex hoc capite reverentia debetur ³; et si spiritua-
lis in se dignitate praecepsat, et eius origo conceptis
verbis in Evangelio a Christo sancta sit: quia per-
inde in Reges singulos ac in Episcopos haec authori-
tas a Deo immediate derivatur. Ego quidem de hoc
mihi nolim a quoquam item moveri: neque enim re-
pugnabo vehementer, si quis mediate dumtaxat eam in

Re-

¹ Lib. 5. cap. 21.² Apol. cap. 30.

CAPVT I.

155

Reges a Deo auctoritatē derivari contendat. Id mo-
neō, votuſiore multo Illustrissimi Praeſulis sententiam
esse, quam ut ad Ludovici Bavari tempora revocari
possit, ut Bohmero placuit.

§. XCV.

Et solidam rerum temporalium administrationem
illi demandatam.

Haud minus porro inde perspicuum est, humana-
rum rerum solidam administrationem regiae potes-
tati demandatam esse. Ut enim eorum, quae sunt
Ecclesiae, curam Episcopis imposuit Christus (§.
XXXVIII.) ita et omnia, quibus civilis societas ei-
que proposita temporalis hominum salus continetur, Re-
gibus a Deo ac Principibus commissa sunt. Haec auto-
ritas illa accipienda est, inquit de Marca ⁴, ut Reges
in rebus humanis administrandis nec ipsius ecclesiasti-
cae potestatis consortio admittant, quae ita rebus
spiritualibus est addita, ut sine iniuria Regum res
temporales attingere non possit. In his vero admini-
strandis, ut nullius alterius humanae potestatis consor-
tium admittant, ita Deo soli subsunt Reges, soli illi
redditori olim rationes, quidquid gestum ab iis est, seu
recte seu perperam. Quod est ipse cuique propriae vis
rationis persuadere possit, iuvenit tamen Patrum firma-
re auctoritatem eorum gratia, qui quoniam rationem omnem
abiciunt, hanc repudiare non audent. Itaque Tertullianus:
Sed etiam quod temperans maiestatem Caesaris infra
Deum, inquit ⁵, magis illum commendo, cui soli subi-
ctio: subiectio autem cui non adaequo. Scitunt ⁶ Imperato-
res quis illis dederit imperium ::: Sentient eum Deum

V 2

es-

³ Lib. 2. cap. 2. §. 10.⁴ Apol. cap. 33.⁵ Cap. 30.

SECTIO II.

esse solum, in cuius solius potestate sunt, et a quo sunt secundi, post quem primi. Et alio loco¹: *Columus ergo Imperatorem sic, quomodo et nobis licet, et ipsi expediat, ut hominem a Deo secundum, et quidquid est, a Deo consequutum, et solo Deo minorem. Hoc et ipse volet: sic enim omnibus maior est, dum solo vero Deo minor est.* Cui plane consentit Optatus Milevitanus²: *Super Imperatorem, inquiens, non est nisi solus Deus, qui fecit Imperatorem. Vnde vicem Dei agere eleganter dicitur Hilario Diaconi in commentario epistole ad Romanos 3: Sciant (christiani) non esse se liberos, sed sub potestate degere: Principi enim suo, qui vicem Dei agit, subiectiuntur.* Ob hanc rationem David Rex³ soli se Deo peccasse aiebat 4. In cuius loci expositione Casiodorus de populo scribit: *Si quis erraverit, et Deo peccat et Regi. Nam quando Rex delinquit, soli Deo reus est: quia hominem non habet, qui eius facta diuidet. Merito ergo Rex Deo tantum se dicit peccasse, quia solus erat, qui eius potuisse admissa discutere.*

SCHOL. Quae etiam S. Ambrosii et ceterorum omnium interpretatione est. Vid. Du-Pin *antiq. Eccles. Discipl. diss. 7. cap. 2. §. 2.* Scite igitur Gregorius Turonensis lib. 5. *Hist. Franc. cap. 19.* *Si quis de nobis, inquit, o Rex, iustitiae tramitem transcendere voluerit, a te corrigi potest. Si vero tu excesseris, quis te corripiet?* Loquimur enim tibi, sed si volueris, audi: *si autem nolueris, quis te condemnabit, nisi is qui se pronuntiavit esse Iustitiam?* Nam quia dispensationes rerum temporalium Regibus attributas sunt, (scribit S. Ivo epist. 171.) et Basilei, id est, fundatum populi et caput existunt; si aliquando potestate sibi concessa abutuntur, non sunt a nobis graviter exasperati.

¹ Lib. ad Scap. cap. 2.

² Lib. 3. cap. 3.

³ Cap. 13.

⁴ Psalm. L.

CAPVT I.
157
esperandi, sed ubi Sacerdotum admonitionibus non ad-
quieverint, divino iudicio sunt reservandi.

§. XCVI.

In qua si delinquent, a solo Deo puniri possunt.

Ex hoc autem confectum esse plane arbitror, Regem in rebus publicis administrandis delinquentem poena temporali adfici non posse, nisi a Deo solo, cuius solius iudicio sancti cum Patres subiectum esse tra-
diderunt (§. XCV.). Idem Cassiodorus, qui negavit in his terris quemquam esse, qui Regis possit admissa dis-
cuture, eundem etiam a solo Deo puniri posse praecipit: *Quia Rex omnibus superior est, et a Deo solo puniendus.* Quod ipsum et S. Ivo adserit; nam quum Reges dixisset divino iudicio reservandos, ubi sacerdotum admonitionibus non adquieverint, continuo subiecit: *Vbi tanto distictus sunt puniendi, quanto minus fuerint divinis admonitionibus obnoxii.* Eadem habet Otto Frisingensis in epistola ad Fridericum Imp. *Soli Re-
ges utpote constituti supra leges divino examini reser-
vati saeculi legibus non colibentur.* *Vnde est illud tam Regis quam Prophetae: Tibi soli peccavi.* Quod ipsum Davidis dictum Innocentius III. in rem nostram ita est interpretatus: *Sic diceret manifestius; peccatum meum tibi soli relinquitur puniendum, eo quod non aliud habeam superiorem, qui me possit punire, quem ipse sim Rex ...: Aliud est in aliquem peccare, et aliud alii-
cui: in aliquem peccat, qui committit in illum offen-
sam: alicui peccat, qui eius subiacet ultiōni.* Rex utique soli Deo, ceteri vero et Deo, peccant et Regi. Ex quo loco in huic sensu ab antiquis omnibus Ecclesiæ scriptoribus explicato manifestissimum est, in solius Dei esse potestate Reges, et ab eo solo acta horum

iu-

¹ In Psalm. peccat. IV.

iudicari, prava corrigi, ac poenis temporalibus coerceri posse.

SCHOL. Nihil autem est, quod nonnulli haec ad statum veteris legis ita pertinere contendunt, ut ad hunc legis novae transferri minime debeat. Hoc, inquam, nihil est; quippe sancti Piores, ut recte observat Du-Pin, ex hoc loco non tantum concludunt Reges Israël haud fuisse subditos Sacerdotibus iudaicis, sed universim Reges nullius nisi Deo subiectos esse, quod et ipsum sonat scripturarum locus. Dum enim dicit David, se soli Deo peccare, satis indicat regalem potestatem in causa esse, ut a solo Deo pendeat, non autem sacerdotii iudicari imperfectionem videntur. Nam quod nonnulli nugant rationem discriminis inter vetus et novum testamentum hanc esse, quod in antiquo foedera regnum sacerdotale fuerit, in novo vero sacerdotium regale; puerile-plane conveniunt est, quod refutatione non indiget. Nec enim verum est, aut Reges veteris legis fuisse Sacerdotes, aut Sacerdotes novae legis esse Reges. Nec illus pertinet B. Petri dictum: Vos autem estis regale sacerdotium, gens sancta: quod de omnibus omnino christianis dictum est. Diss. 7. cap. 2. §. 2.

§. XCVII.

Non autem ab Ecclesia.

Errane itaque procul omni dubio tam illi, qui manifestat quam realem commenti populo coegerentur Regum potestatem faciunt, si qua in re delinquent atrocius¹, quam hi etiam, qui a conciliorum quorundam sanctionibus inducti², et factis paucorum Pontificum moti³ eam Ecclesiam auctoritatem obrudunt,

¹ Scheidemantel ius pub. part. 1. sept. 1. cap. 1. 9. 65.

² Anti-Febr. vindicat. part. 1. diss. 2. cap. 5. §. 5.

³ Bellarm. lib. 5. de Rom. Pont. cap. 8.

ut non punire tantum Reges, verum regnis etiam excere, et liberare subditos possit nexus, quo Principibus suis ac patria adstringuntur. Obrudunt, inquam, invitae ac reluctanti. Novit enim illa traditum sibi a Christo potestatem totam esse mere spiritualem (§. XXXV.), animalium saluti procurandae addictam (§. XXXVIII.), non rerum humanarum administrationem, quam integrum ac solidam Regibus a Deo commissam non ignorat (§. XCIV.). Novit illa porro, summos rerum publicarum Rectores, et si fideles, Principes tamen esse maiestate instructos soli Deo subiecta (§. XCIV.), quasi abutantur, a Deo solo puniri possunt (§. XCVI.). Novit denique imperium in se collatum esse imperium lenle, non violentum (§. LXXVI.), cuius vis summa in excommunicando sita est (§. LXXI.), id est, spiritualium bonorum privatione (§. LXXII.), non in admendis is, quae quis non ab Ecclesia, sed a civitate obtinuit. Haec, inquam, omnia et novit Ecclesia, et credit; et non tam verbis quam rebus ipsis et factis publice aperteque professa est. Cur igitur infamamus illam commentis nostris, quibus non indiget? Cur tam anxi studio propagnamus sententiam, quam omni retro antiquitatibus inaudita aevi medii calamitas illustri quidem, sed tristi ad memoriam exemplo primum conservavit? 1. an nihil nos movent tot mala? nihil fusus largiter humanus sanguis? nihil liberorum adversus parentes bella? 2. nihil structae a fanaticis vitae Principum insidiae? nihil tot aliae calamitates, quas haec una opinatio peperit? Non sum tam iniquus ego, ut impia haec consecraria doctissimi adversae sententiae patronis probari censeam. Sed quum haec non sine quadam horrore leguntur, cur non abiiciunt ratiocinia, cur tantopere confident factis quibusdam, quae, ut alicubi *Natalis Alexander* ait, ad parvaidalem et impiam conclusio-

nem

¹ Natal. Alexander iact. XI. diss. 2. art. 9.

² Pereira diss. histor. de gestis ac scriptis, Gregor. in Henr.

nam vel invitos compellunt? Conf. Fleuris diss. 3. ad Hist. eccles. §. 18.

SCHOL. Non possum itaque, quin communem gallicani cleri de potestate ecclesiastica declarationem anno superioris saeculi octuagesimo secundo editam vehementer probem: Reges scilicet et Principes in temporalibus nulli ecclesiasticae potestati subici, neque auctoritate clavum directe vel indirecte deponi, aut illorum subditos eximi a fide atque obedientia ac praestito fidelitatis sacramento solvi posse: eamque doctrinam publicas tranquillitati necessariam, nec minus Ecclesiae, quam imperio utilem, ut verbo Dei, Patrum traditioni, et Sanctorum exemplis consonam omnino retinendam esse. Quam doctrinam iam ante erudite propagata Wilhelmo Barclao in lib. de potestate Papae in temporalia Principum, et Ioanne Barclao Wilhelmi filio in vindictis pro Regibus ac Principibus adversus Bellarminum, egregie prae ceteris prosequutus est Illustrissimus Bossuetus Episcopus Meldensis quatuor libris prioribus immortalis operis, quod defensionem declaracionis cleri gallicani de ecclesiastica potestate inscrivit. De codem argumento præter Natalem Alexandrum locis præcipue nuper citatis permulta scitu dignissima concessit Anonymus Auctoř libri: *Histoire du droit canonique* tom. 2. cap. 20. et in diss. eidem adnexa *sur le droit des Souverains*.

§. XCVIII.

*Sancta est maiestas civilis et inviolabilis,
ex sacris litteris.*

Adeo vero Reges moveri gradu suo regnisque spoliari non possunt, ut nefas sit christiano adversus illos vi, vel religionis causa uti. Auctořem habeo doctrinæ istius ipsum *Apostolum Petrum*, qui, quum nos subiecti

esse inbet, sive Regi tamquam præsellenti, sive ductibus tamquam ab eo missis::: quia sic est voluntas Dei :: Servi, ait 1, subditi estote in omni timore domini, non tantum bonis et modestis, sed etiam discolis. Haec est enim gratia, si propter Dei conscientiam sustinet quis tristitias, patiens iniuste. Quae enim est gloria, si peccantes et colaphizati suffertis? Sed si bene facientes patienter sustinetis, haec est gratia apud Deum. In hoc enim vocati estis: quia et Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia eius. Ac ne quis hoc de solis dictum dominis putet, *Angustinus* vetat, id ipsum de omnibus Regibus interpretans his verbis 2: *Illi forte impius est et iniquus, tu iam fidelis et iustus: indignum est, ut iustus et fidelis serviat iniquo et infidelis*::: Quod autem dixi de domino et seruo, hoc intelligite de potestatisbus ex Regibus, de omnibus culminibus huius saeculi. Aliquando enim potestates bona sunt, et timent Deum; aliquando non timent Deum. Julianus existit infidelis Imperator, existit apostata, iniquus et idolatria. Milites christiani servierunt Imperatori infidelitatem; ubi conveniebatur ad causam Christi, non agnoscabant nisi illum, qui in celo erat. Si quando solebat, ut idola colerent, ut thurifearent, praesponerent illi Deum: quando autem dicebat, producite aciem, ite contra illam gentem, statim obtemperabant. Distinguuntur Dominum aeternum a domino temporali: et tamen subditi erant propter Dominum aeternum, etiam domino temporali. In cumdem sensum accepit D. Thomas 3: *Si ritu intolerabilis excessus tyrannidis, quibusdam visus fuisti ad fortium virorum virtutem pertinet tyrannum interire, seque pro liberatione multisudinis expondere periculis mortis*::: Sed hoc apostolicæ doctrinae non concurrat. Docet enim nos Petrus, non bonis tantum et mo-

1. *I. Petr. II. 13. 18.*

2. *In Psalm. CXLIV.*

3. *In lib. ad Reg. Cypr. cap. 6.*

destis, verum etiam discolis dominis reverenter subditos esse :: Vnde quum multi Romani Imperatores fidem Christi persequerentur tyrannice :: non resistendo, sed mortem patienter et armati sustinentes pro Christo laudantur.

SCHOL. Germanum hunc S. Thomae foetum esse erudite probat Echardus in *Bibl. Ordin. Praedicator.* tom. I. pag. 337.

§. XCIX.

Exemplo christianorum sub Imperatoribus ethniciis.

Nec ab hoc Domini praecepto aliena fuit veterum christianorum consuetudo, optima illius interpres. Nam eti pessimi interdum homines imperium obtinerent; nec deessent, qui liberandae reipublicae obtenuerint in eorum perniciem coniurabant: eo tamen semper erga crudelissimos etiam fidei persecutores obsequio fuerunt christiani, ut nefas sibi ducerent, non dicam moliri quidquam in Principes suos, sed ne velle quidem male iis, quibus se Deus ipse subiecisset. Idem sumus Imperatoribus, cait Tertullianus¹, qui et vicinis nostris. Male enim velle, male facere, male dicere, male cogitare de quoquiam ex aequo retinuerint. Quodcumque non licet in Imperatorem, id nec in quemquam. Quod in neminem, so forsitan magis nec in ipsum, qui per Deum tantus est: Idem in libro adversus Scapulam²: Christianus, inquit, nullius est hostis, nemus Imperatoris: quem scens a Deo suo constitui, necesse est ut et ipsum diligat, et reveratur, et honoret, et salvum velit: Iaque et sacrificariis pro salute Imperatoris. Vnde quum saepe christiani daesce maiestatis rei agerentur, ab

¹ Apol. cap. 36.
² Cap. 2.

inimicis, eam calumniam non Tertullianus modo¹, verum alii quoque eius aetatis Patres tamquam a christiana religione prorsus alienam summo studio repellabant; contestantes palam, nihil magis a christianorum pietate abhorrente, quam esse quemquam Imperatori suo inimicum. Iubet enim Scriptura sacra, inquit Theophilus Antiochenus², ut magistratibus et potestatibus subiiciamus, ac pro iis precemur, ut tranquillam et pacatam vitam agamus. Ac omnibus omnia reddere docet: cui honorum, honorum; cui timorem, timorem; cui tributum, tributum: nec quidquam ulli debere, nisi ut diligamus omnes.

SCHOL. Quare christianis veteribus (Grotii verba sunt de iure belli et pacis, lib. I. cap. 4. §. 7. n. 9.) qui recentes ab Apostolorum et apostolicorum virorum disciplina eorum praescripta et intelligebant molius et perfectius implabant, summam iniuriam fieri puto ab iis, qui quo minus ipsi se defendenter in certissimo mortis periculo, vires putant illis, non animum defuisse. Imprudens certe et impudens fuisse Tertullianus, si apud Imperatores, qui eius rei ignari esse non poterant, ita confidenter auseus esset mentiri (Apol. cap. 37). Si enim hostes et aperios, non tantum vindices occulitos agere vellent, desserit nobis vis numerorum et copiarum? Plures nimurum Mauri et Marcomanni ipsique Paphi, vel quantacunque unius tamen loci et suorum finium gentes, quam totius orbis? Hesterni sumus et vestra omnia implevimus, urbes, insulas, castella, municipia, conciliabula, castra ipsa, tribus, decurias, palatium, senatum, forum. Sola vobis reliquimus templo. Cui bello non idonei, non prompti fuissemus, etiam copiis impares, qui tam liberter trucidamus, si non apud istam disciplinam magis occidi licet quam occidere? Vide etiam Cyprianum ad Demetr. et Augustin. de civit. Dei lib. 22.

¹ Apol. cap. 35.

² Lib. 3. ad Autolycum.

Exemplo eorumdem sub Imperatoribus christianis.

Quod si quis autem id factum ideo contendat, quod nulla esset Ecclesia in Caesares ethnicos potestas; aliam vero esse rationem in his, qui fidem professi eius se auctoritati, quam contemnunt, subiecerunt: cum ego velim meminisse non tantum sub *Iuliano*, *Constantio*, *Valente*, *Gothorum*, deinde *Longobardorum* Regibus Ecclesia christiana quid egerit, verum etiam quid docuerit. *Iuliano* nuper *Augustinum* testem audivimus que fide christiani milites servierint (§. XCIVIII.). Addo huic *Nazianzenum*: Ceterum, inquit, *Dei clementia inhibitus aique repressus est christianorumque lacrymis*, quas multas multi perfuderunt, quod solum adversus persecutorem remedium est. Solum, inquam, Ambrosio etiam teste¹: *Coactus repugnare non novi*: dolere potero, potero flere, potero gemitare: adversus arma, milites, Gothos quoque lacrymæ meæ arma sunt²: Alter nec debeo, nec possum resistere. Itaque exploratum est, in ea semper christianos omnes sententia fuisse, ut minime sibi licere crederent, obtentu religiosis persecutionis Regum se a Principiū imperio subducere, tametsi vires ad audiendum perfringendumque non decessent. *Vnum est*, inquit *Gregorius M*³, quod breviter suggestas serenissimis dominis nostris, quia si ego seruos eorum in morte *Longobardorum* me misere voluisset, hodie *Longobardorum* gens nec Regem, nec Duces, nec Comites haberet, atque in summa confusione esset divisa. Sed quia Deum timeo, in mortem cuiuslibet hominis me miscere formido.

SCHOL.

¹ Orat. 1. in *Iulian.*

² Orat. ad *Auxent.*

³ Epist. ad *Sabinian.* lib. 4. epist. 47. alii lib. 7. epist. 13.

SCHOL. Conf. Du-Pin cit. diss. cap. 2. §. 3. Insignis est canon 75. concilii Toletani IV. sub S. Isidoro celebrati ann. 633. quem, non possum, quin hoc loco adscrībam: *Servemus erga Deum religionis cultum cum timore: custodiāmus erga Principes nostros pollicitam fidem atque sponsionem: non sit in nobis*, sicut in quibusdam gentibus, infidelitatis subtilitas impia, non subdola mentis perfidia, non periurii nefas, nec coniurationum nefanda molimina. Nullus apud nos praesumptione regnum arripiat: nullus excitat mutuas seditiones civium: nemo meditetur interitus Regum. Addo quod S. Bernardus in epist. 170. ad Ludovicum Regem Gallorum scriptum reliquit: *Si totus orbis adversum me coniuraret, ut quidpiam moliret adversus regiam maiestatem; ego tamen Deum timerem, et ordinatum ab eo Regem offendere temere non auderem. Nec enim ignoro ubi legim: Qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit.*

§. CI.

In temporalibus imperio civili etiam clerici divino iure subsunt.

Quod obediendi praeceptum christianis diligenter Petrus commendabat (§. XCIVIII.), idem Paulus aliquoties repetit, disertissime vero in epistola ad Romanos¹, quem ait: *Omnis anima potestatis sublimioribus subdită sit: non est enim potestas nisi a Deo: quae autem sunt, a Deo ordinatae sunt. Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit::: Ideo necessitate subditi estote non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam. Quo quidem praecepto non est dubium clericos non minus quam laicos contineri. Apostolo enim non de potestate quacunque, verum ea, quae Principum est ac civilis, hoc loco sermonem esse*

ex

ex contextu apertum est : et *Chrysostomus* præterea confirmat his verbis : *Duplex imperii genus : Alterum, cuius opera homines et populis et urbis imperant, ac civitem hanc vitam moderantur, id quod Paulus indicabat, quem diceret : Omnis anima potestatis sublimioribus subdita sit.* Quod si autem potestati civili omnem animam subditam esse debere Apostolus docuit, quoniam tandem modo verum esse potest, clericos iure divino potestati regiae non esse subiectos? *Iohannes Chrysostomus* ⁱ, quum cum *Apostoli* locum spenderet, ostendit, *quod ista imperient omnibus et Sacerdotibus et Monachis, non solum secularibus.* Id quod statim in ipso initio declarat, quum dicit *Omnis anima :: etiam si Apostolus, etiam si Evangelista, sive Propheta, sive quisquis tandem fuerit.* Neque enim pietatem subvertit iste subiectio. Quam interpretationem *Theodoreetus, Theophilactus, O Ecumenius* suam fecerunt; et tamquam nulli obnoxiam dubio probat. *S. Bernardus* in epistola ad *Henricum Archiepiscopum Senonensem* ² : *Intelligitis quae dico, cui honorem, honorem. Omnis anima, inquit, potestatis sublimioribus subdita sit. Si omnis, et vestra. Quis vos excipit ab universitate?* Si quis tentat excipere, conatur decipere. *Habemus enim, verba sunt Gregorii Nazianzeni* ³, *inter ceteras nostras doctrinas leges hanc quoque cum primis laudandam, et a Spiritu:: praecolare constitutam, qua ut seruo heris suis, et uxores viris, et Ecclesia Christo, et discipuli magistris ac pastoribus dicto audientes esse atque obtemperare fubentur; ita nobis etiam prescribitur, ut sublimioribus potestatis pareamus, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam, ut qui pendendo tributo simus obnoxii. Quare audacter dico, totam ecclesiasticam antiquitatem conspirare in eo, ut crederet doce-* ret-

¹ Homil. 23, in epist. ad Rom.

² Tract. de moribus et officio Episc. alias epist. 42, cap. 8.

³ In orat. 17, ad cives Nazianzenos.

retque, præceptis apostolicis de obedientia Regibus ac Magistratibus debita, Sacerdotes non minus ac laicos, Antistites perinde ac minores clericos in his, quæ salutem civitatis respiciunt, comprehendunt. Cuius iudicij auctorem præter alios habet *Gratianus P.* in epistola ad *Anastasium Imp.* ubi quantum, ait, *ad ordinem publicæ disciplinae, cognoscentes imperium tibi superna dispositio collatum, legibus tuis ipsi quoque parent religionis Antistites et Pelagium P. I. Quam igitur de pusillis ista forma præcepti sit, quanto nobis studio ac labore satagendum est, ut pro auferendo suspicionis scandalis obsequium confessionis nostrae Regibus ministremus, quibus nos etiam subditos esse sanctæ Scripturæ præcipiunt?* Itaque via inferri manifestam sententiam *Apostoli* existimo ab his, qui eam sic interpretantur, ut omnes quidem sublimioribus potestatis patere debere concedant, sed ita, ut clerici solis ecclesiasticis, laici vero etiam secularibus subiciantur ⁴: cuius interpretationis veterem nego quemquam auctorem exstitisse.

SCHOL. *Conf. Du-Pin cit. diss. cap. 3. §. ult.* His omnibus rite expensis, nescio an interpretatio *Innocentii III.* relata in *cap. 6. de maiorit. et obed. vel menti Apostoli, vel traditioni SS. Patrum* satis consentanea haberis posit. Ceterum cui animus est legere quidquid absurdum in hoc argumento, commenta est turba scholasticorum, is audeat Plac. Bockha in *comm. ad Decr. lib. 2. tit. 3. §. 6.*

Quod eos perinde ac laicos obligat in conscientia.

Sutilius est recentiorum quorundam, sed aequo Principum auctoritati inimica interpretatio, qua personas

⁴ Epist. ad Childebertum Regem, tom. 3. Conc. Hard. pag. 331.

⁵ Berti de discip. Toccol. lib. 20. cap. 17. n. 11.

ecclesiasticas statuant legibus publicis teneri quidem *in foro externo*, non etiam *in interno*. Quod insulsum scholae commentum quam sit etiam alienum a doctrina *Apostoli*, non propter *iran* tantum, verum etiam propter *conscientiam* nos Principibus subditos esse oportere praecipientis, praeter alios docere potest *Augustinus* in huius ipsius praecepti expositione. Verba in rem nostram haec sunt : *Quod ait, Ideoque necessitate subditi estote, ad hoc valet, ut intelligamus, quia necesse est propter hanc vitam subditos nos esse oportere, non resistentes si quid illi aferre voluerint, in quod sibi potestas data est, de temporalibus rebus ; quae quoniam transeunt, ideo et ista subiectio non in bonis quasi permanensur, sed in necessariis huius temporis constituta est. Tamen quoniam dixit, Necessitate subditi estote; ne quis non integro animo et pura dilectione subditus fieret huiusmodi potestatisbus, addidit dicens, Non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam : id est, non solum ad iram evadendam, quod potest etiam simulante fieri, sed ut in tua conscientia certus sis illius dilectione te facere, cui subditus fueris iussu Domini tui.*

SCHOL. Hoc prae aliis dictum est iis, qui tantopere legibus mere *penalibus* favent, ad quod genus per multi omnes pene politicas Regum ordinationes referunt: quae doctrina qua ratione cum salute rerum publicarum conciliari possit, ego, dicam ingenue, non intelligo.

§. CIII.

Ecclesia bona temporalia possidet humano, non divino iure.

Quod de personis dictum est (§. CI.) ; idem de bonis Ecclesiae temporalibus perinde valet. Neque enim bonorum istorum alia ad rempublicam ratio putanda est quam

In exposit. quareundam prop. ex epist. ad Rom. prop. 74.

quam ceterorum, quae ab aliis civibus possidentur. Incepit quidem *Marsilius Patarinus* temporalia bona possideri ab Ecclesia eiusque ministris divino esse iuri adversum adseverabat : ipsum tamen divinum ius praedicta illis possessionesque addixit nusquam. Vnde *S. Augustinus* non divino illa, sed humana, id est, iure Imperatorum possideri adversus Donatistas disputat. *Quo iure, inquit, defendis villas Ecclesiae? Divino, an humano?* Respondet : *divinum ius in scripturis habemus, humanum in legibus Regum. Vnde quicque possidet, quod possidet? nonne iure humano? Nam iure divino Domini est terra, et plenitudo eius :::: Noli dicere, quid mihi et Regi? Quid tibi ergo et possessioni per iura Regum possidentur possessiones? Ob eam causam *S. Avitus Viennensis* Episcopus siebat Regi suo : *Quidquid habet ecclesia mea, immo omnes ecclesiae nostrae, verstrum est. Quam ingenuam ac liberam professionem vocat doctissimus Sirmondus, Principibus accepta ferri bona Ecclesiae, quae vel donarunt ipsis, vel, ut donare licet, concesserunt. Quo loco refellere eam possumus opinionem, quae bona in Ecclesiam pie collata ita eius effici propria, divinoglo iudicio subiici statuit, ut nullum Reipublicae ius relinquat, quod in aliis civium bonis obtinet. Etsi enim non negem ego, quin bona haec quadam ratione ipsis Deo oblata censer possint, quod Patres saepe, quod diplomata loquuntur, improbatum licet audacter Stryckio : abuti tamen veterum auctoritate certum est, qui *Dei illud qualemcumque dominium ita interpretantur, ut impium esse putent in eius velle communionem venire supremos Principes*, ut verissime docet *Card. de Cusa* : *Nullus, inquiens, sive ecclesiasticus, sive saecularis se iure poterit excusare. Omnia***

Y.

Natalis Alexander sive. XIV. cap. 3. art. 23.

2. Tract. 6. in Ioann. n. 25.

3. Epist. 39.

4. Disert. de saecular. cap. 7. §. 23.

5. Lochstein part. 1. cap. 2. §. 2.

SECTIO II.

enim bonorum temporalium regimen ad publicam communitatem prius debet ordinari. Vnde Hugo noster scribit, ipsas possessiones numquam a regia potestate posse elongari, quoniam si ratio postulaverit et necessitas, et illis ipsa potestas debeat patrocinium, et illae ipsae possessiones debant in necessitate obsequium. Sicut enim regalis potestas patrocinium, quod dat alteri, non potest non dare: sic ipsa possessio ab ecclesiasticis personis obtenta, obsequium, quod regiae potestatis pro patrocinio debetur, iure negare non potest. Lib. 3. de conc. cathol. cap. 39.

SCHOL. Ex hoc fundamento complura summorum imperantium iura, quae in bonis ecclesiarum temporalibus et olim exerceruntur, et nunc quoque exercere possunt, planissima consecutione ducuntur. Hinc enim ex. gr. modum in adquirendis bonis Ecclesiae ceterisque religiosis coetibus praescrribunt. Conf. Neubergers tractatus de coenobiorum redditibus. Hinc administrationi bonorum ecclesiasticorum invigilant, rationes exigunt, dissipationi alienationibusque legibus praecavent. Le Bret. Promtuarium pag. 3. Hinc denique onera iis sine suo consensu imponi minime ferunt. De Marca lib. 6. cap. 12. §. 7. 12. 13. Lites et controversias de his ortas suae iurisdictione vindicant. Esper. part. 3. tit. 1. cap. 4. Aliaque non pauca, quae suis singula locis indicabimus ex legibus Patriae nostrae illustratur.

CIV. *Ac proinde secluso privilegio contributioni obnoxia sunt.*

Ex hoc genere obsequii Regibus praestandi locum haud postremum obtinet contributio ad communem patriae securitatem seu firmandam seu propugnandam necessaria, cuius offici necessitatem ipsa per se recta docet ratio: Christus autem non modo verbis praecep-
piens

CAPVT I.

piens dare Caesari, quae sunt Caesari, et quae sunt Dei, Deo¹, sed et facto ipso probavit, censum solvens, etsi nihil ipse possideret. Si censum Dei Filius solvit, ait S. Ambrosius², quis tu tantus es, qui non putes esse solvendum? Et ille censum solvit, qui nihil possidebat: tu autem, qui saeculi sequeris lucrum, cur saeculi obsequium non recognoscas? Cur te supra saeculum quadam animi arrogantia feres, quem saeculo sis misera cupiditate subiectus? Et infra³: Si Christus nos habuit imaginem Caesaris, cur dedit censum? Non de suo dedit, sed reddidit mundo, quod erat mundi. Et tu si vis non esse obnoxius Caesari, noli habere, quae mundi sunt. Sed si habes divitias, obnoxius es Caesari. Si vis nihil Regi debere terreno, relinque omnia tua, et sequare Christum. Ab hac lege boni ecclesiarum non eximit S. Ambrosius: Si tributum Imperator petis, inquit in oratione ad Auxentium, non negamus: agri Ecclesiae solvunt tributum. In quo consentienter habet Urbanus P. apud Gratianum⁴. Quod in ore pannis invenitur, pro Petro et Domino dari iubetur; quia de exterioribus Ecclesiae, quod constitutum antiquitus est, pro pace et quiete, qua nos tueri ac defensare debent, Imperatoribus persolvendum est. Sanctorum quoque Bernardum in epistola ad Duxem Lotharingiae ita scribentem⁵: Non renuimus Domini nostri sequi exemplum, qui pro se non deditus est solvere censum, parati et nos libenter quae sunt Caesari Caesari reddere, et vestigal cui vestigal, et tributum cui tributum: docente Paulo: Ideo enim et tributa praestatis; ministri enim Dei sunt in hoc ipsum servientes. Reddite ergo omnibus debita; cui tributum,

¹ Luc. XX. 25.

² Lib. 4. in Luc. n. 73.

³ Lib. 9. n. 35.

⁴ Caus. 23. querent. 8. can. 22.

⁵ Epist. 119.

tributum; cui vestigal, vestigal: Ad quem locum respiciens S. Augustinus in libro de catechizandis rudibus: *Dicit apostolica doctrina*, ait, ut omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit: et ut reddantur omnibus omnia; cui tributum, tributum; cui vestigal, vestigal; et cetera, quae salvo Dei nostri cultu constitutionis humanae Principibus reddimus, quando et ipse Dominus, ut nobis huius sanae doctrinae praeberet exemplum²: tributum solvere non designatus est.

SCHOL. In hac tanta sanctorum Patrum consensione quis non miretur ingenium hominum, quibus nihil est tam perspicue, nihil tam candida a veteri traditum Ecclesia, quod in controversiam non adducant, quoties novis scholae placitis adversum est? Specimen egregii acuminis non contemnendum in hoc ipso argumento dedit Anselm. Molitor in *trattatione theologica de ecclesiastica potestate in Ecclesiae bona*, in qua tot sunt inanis viri argutias, tot subtilitates ad rem nihil facientes, quibus prolatas a Lochstenio SS. Patrum pro iure Regum testimonia eludere conatus est, ut verear, ea omnia qui vacuo praedicandi animo legerit, ne convenire in hunc virum dicat illa Sancti Hieronymi: *Dum amorem contradicendi sequeris, a quaestionum linis excidisti, more quorundam loquacium potius quam fandonum, qui quum disputare nesciant, litigare tandem non desinunt.*

§ CV.

Privilegium hoc humani est et civilis iuris.

Aio: *secluso privilegio*, quo tam personae quam res ecclesiasticae in his, que civilem carum statum respiciunt, Principum christianorum munificentia gaudent. Neque enim profecto immunitas haec divino e jure re-

peti potest, in quo adeo nullum eius vestigium apparet, ut contra discretissima extant precepta, que christianos ex aequo omnes sublimioribus potestatibus subiungunt (§. CI.). Quod ipsum fatentur ingenui non hintantum, qui aetati nostrae propiores sunt tam Iurisconsulti quam Theologi¹, verum superiores etiam scholastici post D. Thomam plerique omnes conceperis verbis docerunt. Non magis prima eius initia Pontificum conciliorumque decretis ferri possunt in acceptis, quod adfirmare nonnulli veni in mentem cause, opinor, studiis magis quam veri exquirendi. Nam quo iure id factum ab Ecclesia probari potest, ut civium partem nobilorem, bonaque corumdem imperio civili divina lege subiecta Principibus eriperet non consentientibus? Amabo te, potestne Rex quisquam christianus constitutis Reipublicae suas ministris impetrari privilegium, quo hos in spiritualibus Episcoporum potestati minime fore deinceps obnoxios pronuntiet? An illi vero temporalium rerum solida administratio atque independens minus a Deo commissa est, quam spiritualium Episcopis a Christo? Dicamus igitur quod res est candide, immunitatem ecclesiasticam seu personis a foro et iurisdictione, seu rebus a tributorum onere concessam, gratiam esse christianorum Principum; ratione quidem, ut tum erant mores, nixam probabili, sed tamen gratiam. Quam nos decet, non ex iure canonico metiri, cuius in his rebus nulla vis esse potest, nisi quam receptio illi, aut usus conciliavit (§. XLIX.); nec ex antiquis Imperatorum constitutionibus, qui nullas nobis scribere leges poterant; sed ex legibus cuiusque regni propriis: in quibus si quid est ambigu, si quid obscuri, non ipsa sibi ius dicat Ecclesia, quod inani scholasticorum dicterior continetur; sed ab eo est petenda interpretatio, penes quem imperii maiestas residet.

SCHOL. Ecclesiasticae immunitatis totius origo ex le-

gibus Constantini M. perenda est, cuius pietatem imitati deinceps et Caesares et Reges eamdem vel augementab vel restringebant, prout vel temporum vel locorum ratio exigere visa est: quod ex Thomassino part. 3. lib. 1. cap. 33. seqq. et Binghamo origin. eccles. lib. 5. cap. 2. §. 5. seqq. constat. Quando autem hoc ipsum, inquit Rabardaeus, per leges et rescripta christianorum Imperatorum, Regum et summorum Principum indulsum est, fidientes summi Pontifices suis litteris et decretis illud diligenter observandum constituerunt: quo sensu debemus interpretari plures canones Sylvestri, Pelagii, Gregorii, Gelasii, Leonis, Bonifacii et aliorum Pontificum, tum etiam de creta antiquorum conciliorum, quae Gratianus refert. Quod minus acute, meo iudicio, considerarunt illi Doctores, qui ex his absolute probant, iure pontificio simpliciter absque permissione vel consensu Regum et Principum sacerularium hanc libertatem a foro et iudicio sacerularium magistratum clericis datum et stabilitan fuisse. Optat. Gall. sect. 2. §. 3. pag. 21.

§. CVI.

Vnde Principum supremas potestatis nihil praecuditat.

Quod autem exemptas a iurisdictione civili personas ecclesiasticas dicimus, id supremas Regum potestati nihil detrahit. Apposite Barlatius in tractatu de potestate Papae¹: *Principes fideles, ait, exemerunt quidem privilegiis suis clericos a potestate magistratum inferiorum, sed non exemerunt a potestate sua. Nusquam enim memoriae proditum est ab ullo scriptore, Princeps, qui istis clericis privilegiis donarunt, ita eos a se liberos dimisisse, ut sibi amplius non subessent. Im-*

mo

¹ Cap. 35. §. 2.

mo nec potuerunt Principes, nec adhuc possunt, clericos in regni sui constitutos ea libertate donare, ne ipsorum potestati temporali subsint, neque delinquentes ab iis iudicari et puniri possint, nisi eadem opera se principatu adicent. Atque haec insignis hallucinatio est multorum, qui iuri publici destituti peritia, haec personarum ecclesiasticarum privilegia ita interpretantur, ut iis ipsam Regum supremam potestatem circumscribi existimant, quo fiat, ut nefas sit vel his ipsis moliri quidquam adversus hanc, ut aiunt, iam dudum praescrtae libertatem. Neque esse, quod metuamus rebus publicis, Bellarminus censem. Cur ita? quia inquit, quos Rex non potest, coercere Episcopi delinquentes clericos. Itane vero? *Quid hoc est aliud, verissime Barlatius in vindictis aiebat?*, quam Episcopos ad regale culmen attollere? Cur enim, Bellarmine, instituti sunt Reges, aut quo illorum est potestas? nonne ut Republicae moderentur, paci salutique ciuium provideant, poenis et praemiis divisis in merentes? Atqui tam id muneris eripis Regibus, aut saltet cum Episcopis vis esse commune. Demus, si placet, tantisper Episcopis hanc, quam volunt, clericos coercendi potestatem; auferamus omnem Regibus: quam tutam censem futuram regnum securitatem, si solo decretalium iure eam nobis licet defendere? *Iudices sacerulares sub excommunicationis poena cognitione atrocissimum etiam criminum interdictio: ecclesiasticis vero, si Milletoto credi potest, non concedit unquam clericos brachio tradere saceruli, praterquam trium delitiorum reos, inter quos nec sicarii sunt, nec incendiarii, nec incestuosi, nec parricidae, nec perduelles, nec proditores patriae, nec Regicidae. Haec igitur, atque alia his similia criminum monstra, quae temporum infelicitas nonnumquam etiam in clero detegit, quomodo punientur?* An in his quoque exemptione locum dabimus, licet cum pernicie rerum publicarum?

Non

¹ Cap. 35. §. 2.

Non potem : *Principes non sunt timori boni operis, sed mali. Vis autem non timere potestatem? Bonum facet habebis laudem ex illa : Dei enim minister est tibi in bonum. Si autem malum feceris, time : non enim sine causa gladium portat. Dei enim minister est, vindic in iram ei, qui malum agit.* Ita Paulus.

§. CVII.

Nec eminenti Republicae in res Ecclesiasticorum domino.

Similiter bona ecclesiarum temporalia, tametsi Principium beneficio immunita, eminenti Republicae de minio subiecta esse minime desinunt (§. CIII.). Quar e nihil immunitas haec impedit potest, quo minus in publica torius populi necessitate exigere reges ex his quoque bonis subsidia iure valent ad patriam ab interitu vindicandam. Anne inconsulto etiam, inquires, Romano Pontifice? Immo vero inconsulto etiam. Evidem non ignoro, quibus demum conditionibus *Innocentius P. III.* i subsidies istius contributionem fieri passus sit. Sed iam nuper praemonebam, nullam in hac questione decretalibus Pontificum vim ex se posse tribui (§. CV); minime vero omnium illis, que supremas Regum auctoritatib derogant (§. XXXVIII.): in quarum numerum hanc, de qua agimus, *Innocentii decretalem*, retulit, nec immerito, *Lochstenius*. Eam enim etsi ego ita esse compararam pulchre intelligam, ut consentanea sit prorsus omnimodae, quam videtur affectasse clericorum a potestate civili independentiae; cum veris tamen civilis iuris principiis, quomodo illa possit cohaerere, non adsequor. Nam quae est, quaequo, haec iustitia civilis, quae tum demum necessari omnibus communis clericos vult consulere, quum bona laicorum iam exhausta sunt

pe-

¹ Cap. 7. de imm.

CAPVT I.

177

penitus? Indicandi de reipublicae necessitate potestas quomodo, salva maiestate civili, Episcopo soli et clero tribui potest? An e bonis sue potestati subiectis non licet patriae, quem extrema necessitas urget, partem reddituum decerpere sine summi Pontificis consensu? Ita *Bonifacio P. VIII.* aequum olim visum est, in constitutione sexto decretalium libro inserta ¹. Sed quam ipse deinde haud ita multo post, *Philippi victus constantia, et iustis regni Franciae querelis fatigatus, commoda interpretatione ita temperavit, ut agnosceret in Regibus potestatem a suo nutu minime pendentem.*

SCHOL. Conf. Raynaldum in annal. ad ann. 1297. n. 50. Natalem Alexandrum in Hist. eccles. sace. XIII. diss. 9. art. 1. et Carolum Feuret de abusu lib. 1. cap. 8. Pontificis consensum qui requirunt, ex iis video nonnullos ea nisi ratione, quod bonorum ecclesiasticorum suprema cura, proque iis rite administrandis sollicitudo eidem incumbat. Vid. Auctor vindic. iur. stat. eccles. circa temporalia part. 1. cap. 2. §. 4. Nam quum ex vi primatus (ita ratiocinatus Schmidius loc. cit. §. 298.) necessaria fluat sollicitudo et cura omnium in orbe ecclesiarum; haec vero profecto locum habeat in iis omnibus, per quae status ecclesiarum deterior quamcumque ratione fieri queat: negari non posse videtur Pontifici vi primatus curam quoque supremam horum bonorum incumbere. Quod viri clarissimi ratiocinium quam recte se habeat, nunc non disputo: id aio, quantacumque sit suprema istius vis inspectionis et curae, eam tamen ita esse temperandam, ut cum summo et independente Regum iure conciliari possit, cui ut iam dictum est aliquoties, Christus instituendo Ecclesiam ordinandoque nihil penitus detractum voluit.

Z

§. CVIII.

¹ Cap. 5. de immunitate.

§. CVIII.*Espenio iudice.*

Ex his evidenter sequitur, verba sunt Espenii, exensionem clericorum a iurisdictione laicorum non e iure naturali vel divino, neque ex ecclesiasticis decretis, sed ex solis Imperatorum et Principum legibus profusa, et de ea statendum ac iudicandum. Unde nec de hac exemptione valit auctoritas decretalium, sive ius commune canonicum, nisi in quantum illud in hoc articulo est receptum expresso vel tacito Principum consensu: Si igitur Principes intelligent exemptionem, qua hactenus gazisti sunt clerici, politici et rei publicae regimini plurimum officere: quidam possunt, et subinde teneantur pro temporum et rerum circumstantiis haec exemptionum privilegia sua auctoritate limitare atque circumscribere: exemplo veterum Imperatorum ac Regum, quorum receptae olim constitutiones ac piissimo cuique Antistiti probatae leges hunc nobis certe praestare usum possunt, ut iudicare ex iis licet, quae quantave Regibus, salva dignitate sacerdotii, circa politiam ecclesiastica potestas competat.

SCHOL. Quod de limitanda cleri immunitate post Espenium monui, id ne quis vertat in calumniam, de immunitate ecclesiastica intelligi volo, non de illa qua clerici Hungariae aequa cum nobilibus conditione fruuntur, de qua hoc mihi loco sermo non est. Ceterum de toto hoc immunitatis argumento unus instar omnium esse potest Lochsteinius in egregio prorsus opere Germanice scripto, cui titulus: *Fundamenta pro et contra ecclesiasticam immunitatem in re temporali.* Adde eiusdem *Responsa ad interrogaciones circa ecclesiasticam immunitatem.*

CA-

¹ *Iur. eccl. univ. part. 3. tit. 3. cap. 2. §. 4. 12.*

CAPV T. II.**DE POTESTATE PRINCIPVM**

CHRISTIANORVM CIRCA SACRA GENERATIM.

§. CIX.*Hoc ius quidam prorsus negant.*

De potestate Principum christianorum circa sacra varia est ac multiplex disceptatio. Quorundam adeo delicata religio est, ut vel ipsum nomen ferant iniquis, ius circa sacra confundentes cum potestate ecclesiastica. Quo errore evenit, ut quidquid eius iuri Principibus vindicat intelligentior pars interpretum, id totum de potestate Ecclesiae detrahatur, et credant ipsi, et alii contentur omni studio persuadere. Quod quidem omnino falsum est: differunt enim haec duo toto genere. Quac qui non discernunt, parum abest, quin de violata *Christi religione* arguant Principes etiam pietate minime simulata commendabiles, qui, quod ignorare non possent, quantum ad vitae etiam civilis stabilem felicitatem interest, pios esse subditos ac virtutis religionisque non fucatae studiosos cultores, hanc imperatoris munera curam praecipuum reputabant, nihil praetermittere, quod ad verei pietatis cultum inter suos promovendum removendaque virtutis impedimenta pertinere posset. Hac mens Constantini M. fuit, cuius extat epistola apud Eusebium¹ post Nicaenam synodum scripta, qua egregium promovendas religionis studium testatum est: haec Thendostis, haec *Marciani*, haec *Justiniani*, cuius permultae supersunt in codice ac novellis de sacris rebus editae constitutiones. Idemque porro semper plorum Regum in colenda tuendaque religione studium fuit: quea

Z 2

¹ *Lib. 3. de vita Const. cap. 17. seqq.*

etsi per se satis valida; si civilibus praeterea muniatur legibus, amplior et solidior esse consuevit, ut sanctus Rex noster Stephanus in praeatione decreti significare velle videtur. Hoc sensa Leonem M. intelligo ita aitem: *Res autem humanae aliter tutae esse non possunt, nisi quae ad divinam confessionem pertinent, et regia et sacerdotalis defendat auctoritas.*

SCHOL. Conf. Moser in diss. de offic. Princip. circa religionem subditorum, et Schmidt in diss. de efficacia religionis in promovenda socialitate.

§. CX.

Contra Patrum traditionem.

Ob eam causam in epistola ad Leonem Aug. scribit: *Debet Imperator, incurranter advertere, regiam potestatem tibi non solum ad mundi regimen, sed maxime ad Ecclesiae praesidium esse collatam*¹. Quae sancti quoque Isidori Hispaniensis Episcopi piissimi iuxta et doctissimi sententia fuit: *Principes, inquit, saeculi non nunquam intra Ecclesiam potestatis adeptae culmina tenent, ut per eandem potestatem disciplinam ecclesiasticam munitant. Ceterum intra Ecclesiam potestates necessariae non essent, nisi ut, quod non praevalet Sacerdos efficeret doctrinæ sermonem, potestas hoc impliat per disciplinae terrorem. Saepe per regnum terrenum coeleste regnum proficit: ut qui intra Ecclesiam positi contra fidem et disciplinam agunt, rigore Principum conterantur, ipsamque disciplinam, quam Ecclesiae humilitas exerceere non praevalet, cervicibus superborum potestas Principalis imponat, et ut venerationem mereatur, virtutem potestatis impetrat. Cognoscant Principes saeculi Deo debere se rationem reddere propter Ecclesiam, quam a Christo tuendam*

su-

¹ Leo M. epist. 156, edit. Balleriniorum, alias 75.

suscipiunt. Nam sive augeatur *pax et disciplinae Ecclesiae* per fideles Principes, sive solvatur, ille ab eis rationem exigit, qui eorum potestati suam Ecclesiam eredit. Caus. 23. quest. 5. can. 20.

§. CXL

Augustino cum primis saepe probatam.

Quo loco non obscure resellitur opinio eorum, qui de sola Ecclesie defensione ac praesidio citra ullam aliam de rebus sacris statuendi potestatem veteres Patres interpretantur: neque enim defensio, cuius illi meminerunt, eo spectat tantum, ut Ecclesiam ab externa vi securam praestent, sed hoc etiam cum primis, no domesticis viis corrupta a pristinis moribus et sincera maiorum pietate uspiam deflecat. In hoc, ait Augustinus², Reges, sicut eis divinitus praecepitur, Deo serviant in quantum Reges sunt, si in suo regno bona iubeant, mala prohibeant, non solum quae pertinent ad humanam societatem, verum etiam quae ad divinam religionem. Et alibi³: Quomodo ergo Reges Domino serviant in timore, nisi ea, quae contra iussa Domini sunt, religiosa severitate prohibendo atque pleitendo? Alter enim servit, quid homo est: alter, quia etiam Rex est. Quia homo est, ei servit vivendo fideliter: quia vero etiam Rex est, servit leges iusta praeципentes, et contraria prohibentes convenienti vigore sanciendo. Sicut servivit Ezechias lucos ac templa idolorum, et illa excelsa quae contra praecepta Dei fuerunt construta, destruendo. Sicut servivit Iosias talia et ipse faciendo::: In hoc ergo servivunt Domino Reges, in quantum sunt Reges, quum ea facint

² Lib. 3. contr. Cresc. cap. 51.

³ In epist. 185, alias 50. ad Bonifacium, cap. 5.

cunt ad servendum illi , quae non posunt facere nisi Regni.

SCHOL. Exemplo Josiae usus quoque est Carolus M. in praefatione Capitularis Aquisgranensis ann. 789. Sed et aliqua , inquit , capitula ex canonice institutionibus , quae magis nobis necessaria videbantur , subiunxiimus . Ne aliquis , quæso , huius pietatis admonitionem esse præsumtiosam iudicet , qua nos errata corrigeremus , superflua abscidere , recta coartare studiuimus , sed magis benevolo charitatis animo suscipiat . Nam legimus in Regnorum libris , quomodo S. Iosias regnum sibi a Deo datum circumscrevendo , corrugando , admonendo , ad cultum veri Dei studuit revocare : non ut me eius sanctitatem equiparabilem faciam , sed quod nobis sint ubique sanctorum semper exempla sequenda .

§. CXII.

Variae Protestantum sententiae.

In hac tanta antiquitatis totius consensione , non caret temeritate negare velle potestatem , quam præterea tam ratio recta commendat , quam Deus ipsi disertissimis oraculis comprobavit ¹ . De causa vero potestatis deque limitibus eiusque amplitudine dum quererit , incredibile dictu est , quam sint multæ quæcumque discrepantes inter se dochissimorum virorum sententiae . Hobbes , demotu hoc uno , Iesum esse Christum Dei , cetera omnia credendi capita negat esse fidei , sed obediencie ² . Vlr. Huberus interna religionis christiana ab imperio civili libera pronuntiat , externa omnia eidem subicit ; ea nimis , ut Floerkius interpretatus est ³ , quæ divino iure determinata non sunt : qualia quæcumque

¹ Ibai. XLI. 23. LX. 10. II. Reg. VII. 12. 13.

² Huber. de iur. ciuit. lib. 1. seft. 5. cap. 1.

³ Praenot. iur. eccles. §. 12.

sint , Thomasii quidem iudicio , admodum pauca , facilis collectio intelligi potest , quam late huic viro , a quo nihil prope dissentit Boehmerus ⁴ , iura Principum circa sacra pateant . Harum sententiarum nulla est , quam vel ipsi hodie Protestantes probent , ut actum agant , qui his refellendis operam impendunt .

SCHOL. Hobbesium confutabat Huberus ; et , qui hobesianum se nuper professus est , Rousseauum clar. Scheidemantel . Floerkio respondit Keuffel . Thomasii et Boehmeri sistema data opera Kippingius convellero studuit , nec , ut ego iudico , infeliciter .

§. CXIII.

Doctrina Pfaffii.

Abit in multis a superiorum doctrina systema recentiorum , cuius ferunt auctorem Matthæum Pfaffum Tubingensem olim theologum celebrem . Eius sunt haec præcipua capita : Ecclesiæ esse societatem in ciuitate eretiam , eoque fine confederatam , ut cultum divinum ad præcepta Iesu Christi , qui primus hanc societatem instituit , suisque turibus ornavit , agat . Habere imperantes ut in alia omnia in ciuitate ereta collegia , ita etiam in hanc religiosam societatem supremam inspectionem ; partim ne quid in iis agatur , quod saluti ciuitatis adversum esse possit , partim ut , quæ pro libertate subditis competente sic eriguntur , collegia et societates ab omnibus iniuriis et insuldbus defendantur , et iuribus suis atque libertatibus , quas iure vel divino vel humana habent , usi et frui sine turbatione possint . Ex hoc generali supremæ inspectionis officio emergere iura sacrorum , iura in Ecclesiæ , absoluta illa et generalia , quae vocantur , magistrati politico

com-

⁴ Dis. de iur. princ. ciuc. diasphora.

⁵ De extraord. prim. eccles. statu §. 10.

competentia. Quum autem nulla sit in civitate societas; quae sua sibi iura non servet, suas sibi ipsi leges ordinemque ex pacto, conventione et confederatione mutua non scribat, et his legibus vivere ab imperante non permittatur; ita Ecclesiam hos ius hanc facultatem habere eo certius esse, quod haec facultas ab ipso Christo, qui Ecclesiam fundavit, ipsi concessa sit, divino sic munita sigillo, quod violare sane et summis imperantibus nefas fuerit. Ex hac divinitus data facultate effluere iura sacrorum collegialia et specialia toti Ecclesiae competentia, et in tota Ecclesia radicaliter residentia, quae proinde exerceri a magistratu politico non possint de iure, nisi ex consensu vel praesumto vel tacito Ecclesiae. Ecclesiam vero et posse partem iurium suorum in Principes transferre, et hoc ut faceret necesse etiam fuisse, ex quo numerus christianorum ita excrevit, ut per totam civitatem diffusum, iam costus ad horum iurium administrationem commode satius concurrere haud potuerit. Ceterum iura ipsa nihil minus manere radicabiliter penes Ecclesiam, eaque adeo iusta indolem Ecclesiae, secundum ius divinum, Ecclesia et ipsa, quantum fieri potest, in partes vocata, ad salutem et aedificationem eiusdem exerceri et administrari debere: quos limites si migrant summi Principes, nihil impedit, quo minus revocare iura, quae commisit, Ecclesia recte possit. Ita eruditus hic theologus in dissertatione de iure sacrorum absoluto et collegiali.

SCHOL. Quid commodi haec iurium in absoluta et collegialia divisio rebus Protestantium adferre possit; ipse in fine dissertationis enarrat copiosius. Restabat, ut quae iura sacrorum sint *absoluta* et *maiestatica*, quae collegialia, dilucide exponeretur. Sed in his definiendis variant scriptores Protestantium etiam *novissimi*, quod facile appareat, si quis Mosheimum, Pertschium, Floerkium, Wiesenhaverum, Georg. Lud. Bochmerum, cop-

conferre volet. Conf. Grebner in Germ. sacr. art. 4. pag. 70. seqq.

§. CXIV.

Fundamentum iuris circa sacra et sententia Catholicorum.

Non ii sumus nos, qui, quod obici Ecclesiae nostrae frequenter solet, alienam penitus ab imperio civili curam sacrorum existimemus (§. CIX. seqq.), aut in Maiestatem iuribus privare conemur, quae illi hanc ipsam ob curam competere necesse est (§. CXL): quam criminacionem (licet enim hoc nomine compellare) refellunt satis egregie multorum de hoc argumento lucubrations. Disceptationi obnoxia inter nos sunt eadem, de quibus haud magis inter se Protestantes consentiunt. Capita disceptationis duo sunt praecipua: unum de *fundamento iuris circa sacra*; alterum de *huius limitibus*. De posteriori deinde exponetur. Fundamentum potestatis circa sacra, sunt e nostris pauci quidam, maxime theologi, qui in privilegio querunt a Praesulibus ecclesiasticis summis Principibus concesso propter insignia multorum in rem christianam merita. Nam hi quum pro certo recipent exploratoque, nullas esse omnino Regum ac Principum in iis rebus dirigendi partes, quae ullo modo religionem spectant; atque ob id ad iniuriam Ecclesiae illiberaliisque servitutem pertinere existimarent, si quae olim a piissimis Imperatoribus gesta historia sacra tradidit memoriae, *iure proprio* non ex mera Pontificum *indulgentia* acta fuisse statuamus: primum fuit eo delabi, ut illa omnia indulgentie ac conveniente prudenter Ecclesia gesta esse crederent. Quae quidem *convenientia* usi tot saeculorum firmata vim nostra sit *privilegii*, quo tuti Principes christiani multarum rerum potestatem sibi non iniuste vindicent, quam

nsupare, remoto privilegio, sine summo scelere nequeant. Non audeo damnare usum talium privilegiorum, inquit Suarez¹, sed hoc apostolicas Sedi remitto. Nam etiam Card. Bellarminus cap. 35. contra Barlaudem, quum ille diceret esse in Gallia quaedam delicta gravia, quae privilegiata dicuntur, ipse respondet, ideo dici privilegiata, quia privilegio Sedis apostolicæ indulsum est Regibus Francorum, ut ea delicta cognoscere possint. Quibus verbis videtur illam excusationem non improbare, sicut illam non improbat Iulius Clarsus et Averarius, quos allegat.

SCHOL. Quod de privilegiatis in Gallia delictis hic Suarez ex Bellarmino docet, id quidem falsum est. *Dicit* privilegiata criminis vocari in Gallia, ait Barlaeus in vindicis, de quibus clericis apud regios Iudices accusari Papa indulxit. Nihil minus. Neque ullam invenies sanctionem, qua id privilegium in clericos Regibus rebusque publicis Papa concesserit: ut facile iudices, non id ordinariae iurisdictionis Regibus a Papa tributum, qui olim utebantur omni in clericos potestate; sed ipsorum voluntate servatum, qui de sudore, quod libuit, remiserunt, quod libuit, tenerunt. Sed et nuper doctissimus Milletotus eleganti illo trahit, quem inscripsit De delicto communi et casu privilegiato, rite ostendit, privilegia clericorum orta a Regibus; ideoque crimina, ob quae accusantur in foro civili, vocanda proprie delicta communia, quia communia iure de illis cognoscit Magistratus; quae vero ad Episcopum remittuntur, privilegiata esse dicenda, scilicet quia Regum privilegio indulgetur Episcopis, ut de tis casibus cognoscant et iudicent.

§. CXV.

¹ Lib. 4. defens. fid. cap. 34. n. 29. alias 31.

§. CXV.

Est ipsum summum imperium.

Sed horum quidem iam dudum explosa sententia est. Norunt enim sapientiores civilium iurium magistri, iura Principum circa sacra omnibus communia (nam de iuribus speciali titulo quae sitis hic non agimus) si qua sunt, ea non posse aliunde, quam ex fine civilis societatis huiusque regendae officio derivati. Cuiusmodi iura, quum imperio civitatis contineantur, manifestum est, iura circa sacra ad Maiestatem referri oportere; eaque proinde non commentatio cuidam Sedis apostolicæ privilegio, sed fundamento initii divinitus constituto. Quod, ut omnibus est summus Principibus commune, ita nulla vi humana convelli potest (§. CX. seqq.). Theodosius in litteris ad Cyrrillum Alexandrinum datis, quarum testimonium hoc nobis gravius esse debet, quod ocumenici concilii iudicio probatae sint, et in acta relatae, non aliam iuris sui rationem producebat, quam imperii vim a Deo sibi commissam. Nostræ constitutio Reipublicæ ea, quae in Deum est, pietate instituit, ait², multaque inter haec et illam cognatio et confoederatio intercedit. Nam et se mutuo complectuntur, et utraque prosperis alterius successibus incrementa sunt: quandoquidem ut vera religio iusta actione, ita Respublica utriusque opere nra florescit. Quum itaque Deus imperii habendas nobis tradiderit; itisque, quod imperio nostro parent, pietatis et securitatis quoddam quasi vinculum nos esse voluerit: harum inter se societatem, providentiae et hominibus medios nos praebentes, indivulsam perpetuo conservare contendimus; pietatis opitulamus ad Reipublicæ incrementum.

SCHOL. I. Vedit hoc, ut fere omnia, Illustrissimus

Aa 2

de

² Concil. Ephes. part. 1. cap. 19.

de Marca in opere immortali de concord. sacerd. et imperii lib. 3. cap. 9. §. 8. Ceterum , scribit , etsi formularis pragmaticorum saisifecerimus , privilegiorum mentione iniecta , sincerior mihi videtur haec respondendi ratio , si mero iure regio in certis articulis , in aliis vero iure patrocinii et tuitionis Principes ad se quam plurima olim traxisse dicamus , quas a summis Pontificibus perstricta non sunt ; ab illis deinde aliquanto tempore cessasse , quoniam novis decretis sunt vetita : quorum cognitionem iterum resumerent ad procurandam regnum suorum ipsiusque ecclesiae gallicanae salutem ; hanc vero possessionem sine ulla interpellatione summi Pontificis retinerunt ab aliquo saeculo , hodieque retineant . Quae convenientia Sedis apostolicae id maxime praestat , ut bona fide Principes in eo negotio trahendo versentur , quod ad se pertinet non improbabili ratione putant : ita ut patientia illa , si necesse sit , vicem privilegii et dispensacionis subeat , etiam in singulis speciebus privilegiorum exhiberi non possit .

SCHOL. II. Quo iacto potestatis circa sacra fundamento , carere iam possumus illa quorundam inutili sollicitudine , qua se torquent misere , ut ex Sedis apostolicae diuturna convenientia praescriptionem sequi legittimam evincent , qua Principes iura sua longo tempore nemine interpellante exercita tueantur : imperii enim maiestate tuti colore studiose quaeasito non egent . Similiter autem nihil proficiant illi , qui iura summis Principibus imperii potestate debent , et his convenientibus aut etiam insciis , a saeculo aliquot partim a Sede apostolica partim ab Episcopis vindicata , praescriptione immemoriali Ecclesiae quaeasita ingenti quidem studio contendunt , verum nihil apud eos profuturo , qui rectiora iuriis civilis principia edociti probe sciunt iura Maiestati propria humanis praescriptionum institutis haudquam subiacere .

§. CXVI.

§. CXVI.

Ex quo fluit primum ius determinandi adiaphora.

Omnis autem Principum christianorum circa sacra potestas triplici potissimum iure continetur . Arque primum quidem iure ea , quae neque naturali ratione neque revelatione certam formam habent , atque adeo ad Religionis christianaee substantiam non pertinent , ad eum modum determinandi , quem pax et salus civitatis necessario exigit . Nam quae sunt eiusmodi , haec tamquam ad religionem Christi arbitria , utro modo determinantur , ad salutem christianorum internam nihil referunt , permultum autem saepe , si civilem felicitatem specte . Arque hoc iam supra dedimus probatum , in rebus disciplinae constituendis eum oportere servari modum , ut nihil decernatur civili popularum saluti contrarium (§. XLI.) . Cuius rei iudicium quoniam eius est dumtaxat (§. CVII.) : confectum est , in potestate Ecclesiae non esse , arbitraris eius generis ritibus aliam formam tribuere , quam quae cum salute civitatis amice conspirat ; esse vero in potestate summi Principis non pati , si attenteret quidquam , quod sit cum huic detimento coniunctum . Nam quae , amabo , vel lex est , vel fingi necessitas potest , ut ritum urgeat Ecclesia cum publica utilitate pugnante , dum salva fideliū beatitate aut abesse is omnino potest , aut ad eam formam inflecti , qua ex aequo utrique et Ecclesiae et Reipublicae consultum est . *Coelestis civitas* , inquit S. Augustinus , dum peregrinatur in terra , ex omnibus gentibus cives evocat , atque in omnibus linguis peregrinam colligit societatem ; non curans , quidquid in moribus , legibus , institutisque diversum est , quibus pax terrena vel conqueritur vel tenetur ; nihil corum re-

scin-

SECTIO II.

scindens nec destruens, immo etiam servans ac sequens: quod licet diversum in diversis nationibus, ad unum tamen eundemque finem terrena pacis intenditur, si religionem, qua unus summus et verus Deus colendus docetur, non impedit (§. VI.).

COROL. Ex adverso autem, si institutum quodpiam, respectu ad Rempublicam habito, prosus est indifferens, pietatem vero ac virtutem adiuvar aptum, sua Ecclesiam in constitudo libertate frui patientur Reges perinde aequum est. De Marca lib. 2. cap. 6. §. 6.

SCHOL. Hoc illud arbitror esse ius, quod clar. Scrodt potestatem imperii civilis condirecivam vocat, pariterque Principibus vindicat Instit. iur. canon. lib. 1. tit. 2. §. 112. At vero ex eo, inquit, quod potestas ecclesiastica intelligatur abesse detrimento et diminutione imperii civilis, abunde elucescit, causas disciplinae et politiae in Ecclesia externae non exemptas esse a iure regiae inspectionis, ne per instituta ecclesiastica violentur iura et libertates status publici; immo referri ad potestatem imperii civilis condirecivam, quatenus has causas cum statu et regimine politico connexionem habent: adeo ut leges ecclesiasticae et speciatim bullas pontificis disciplinares, qua mixtae, non tantum ab autoritate Ecclesiae, sed ab imperio et approbatione Regum et Principum saecularium suam vim obtineant. Similiter etiam Rauttenstrach iam ante docuit. Instit. iur. eccl. §. 62.

§. CXVII.

Deinde ius supremae inspectionis.

Alterum est ius supremae inspectionis, sicut in potestate cognoscendi omnia, quae in territorio civitatis a quocumque geruntur, dandique operam: ut ne quid ex iis Respublica detrimenti capiat. Inter alia Maiestatis ius

CAPVT. II.

iura omnes, quod sciam, etiam ius supremae inspectionis consummerant. Nec immerito. Nam quoniam summam hanc potestatem ideo Regibus a Deo commissam fuisse satis conset, ut populorum suorum felicitatem currentis officiis vero istius explendi facultas nulla esse possit, aut perexigua, nisi quae geruntur in territorio, nota illi explorataque teneant: sane quidem evidens est, ius simul cum officio datum Regibus exigere, ne quid clam ipsis in civitate fiat, ex quo aliquod in Rempublicam detrimentum possit promanare. Nosse vero quid agatur, noxam publicam oculis tenere, nec habere potestatem impediendi; hoc vero tam secum pugnans est, quam quod maxime. Vtrumque igitur ius imperio civili inest. Et quoniam Christus, etsi Regum iura non auxerit, nec diminuerit tamen (§. XXXVI.), extra omnem nobis controversiam positum esse debet, utramque hanc potestatem, recepta in territorium Ecclesia christiana, imperantibus integrum servari illibatamque, tam cognoscendi scilicet quae aguntur ab illa, quam veterandi pro auctoritate, ne omnino fiat quidquam, quod in Republicae detrimentum possit redundare (§. CXVI.).

SCHOL. Os homini! run' vero audes Christi Ecclesiam in hanc adducere suspicionem, quasi illa sit ume quam factura quodpiam, quod nocere possit civitati? Immò vero id ego futurum numquam plane certus sum: sed (quod in aures tibi dictum esto) qui christiano populo praesunt, singulos esse homines aio, qui errare possunt, qui affectibus duci, qui servire cupiditat. In his hominum vitiis praeaccendit oculatum ego Principem volo, non in periculo ab Ecclesia Christi impendente, quod nullum est. Nec valde moveor, si ius istud Principibus christianis, ac cetera huic coniuncta erupta velis, hoc magis quod Puffendorfum in libro de habitu religiosis doctrinae istius auctorem extitisse ferunt. Primum enim in hoc sane turpiter errant. Ius supremae

SECTIO II.

inspectionis pars est praecipua *iuris territorialis*, quod nemo civilis philosophiae gnarus non fatetur ius esse Maiestati internum, cui religio christiana nihil penitus detractum vult. Deinde cave, ne si erroneum dicas o-
mne, quidquid a Protestante scriptum est, idque ideo quia scriptum est a Protestantē, eveniat tibi, quod multi-
tudine accidisse memini, ut te ridendum suaviter pruden-
tioribus exhibeas.

§. CXVIII.

Et ius advocatiae ecclesiasticae in rebus fidei.

Addo his *ius advocatiae*, quam vocant, *ecclesiasti-
cae*, seu tutelae ac defensionis publicae, quae quidem
pater quam latissime. Huius enim vi Reges ac Principes
christiani, et si in rebus fidei iudicandis interpretandis
que nullas sibi a Christo relictae partes satis norint (§.
LXXIX.), ac nec tam quidem, quam eis solam *Mai-
estas* vindicat ¹, doctrinam publicam determinandi au-
toritatem usurpent; non possunt tantum, verum etiam
tenentur (§. CX.) cultum veri Dei omni, quo per
naturam religionis licet, modo promovere, impedimenta
eius in Republica removere, dogmata ab Ecclesia de-
finita populis sibi creditis proponere ², ea pro auctoritate
tueri. Quia si qui contemta Ecclesia auctoritate
persinacius impugnant, eaque re dissidio malisque mori-
bus occasionem subministrant, eos iusta etiam coercitione
compescere ³; aut abesse iussos patriis laribus ⁴, inque
aliam regni provinciam traductos ⁵ removere procul a
consortio integrae partis, ne disiunctis religione animis

Pra-

¹ *Diss. de iure Princ. circa dolt. publ.* §. 16.

² *Caus. 3. quæst. 3. can. 4.*

³ *Muratorius de ingen. moderat. lib. 2. cap. 11. et 12.*

⁴ *Vid. Henninges de Imper. potest. circa sacra cap. 5. §. 3.*

⁵ *Ichthyautes diss. de iur. transpl. subdit. tom. 1. opusic. 5.*

CAPVT II.

193

partum cohercat sociale vinculum, quo interna ciuitum
securitas praecipue continetur ¹: nisi aliud suadeat pu-
blicae necessitatibus dura lex, quæ saepè etiam quod mi-
nime probes tolerare iubet humaniter et illæsa con-
scientia ²; sed tolerare tamen ad eum modum, ne iu-
sti tolerantiae limites ultra, quam par est, in immen-
sum proferantur, ut sapienter ex Buddeo monet *Bar-
thelius* ³: Tolerandi sunt dissentientes, alieni, ita tam-
en, ut veritati inde nullum creetur periculum, et qui
nostræ curæ concredditi sunt, in disserim amitten-
dae salutis aeternæ non coniiciantur: tolerandi sunt,
non tamen statim facultas impie et pro libitu errores
disseminandi illis est concienda: tolerandi sunt, si-
mul tamen in viam veritatis ea, qua decet, ratione
revocandi. Dabit ergo operam, quantum fieri potest,
quisquis imperii habenas tenet, ut veritatis et charita-
tis communione in religione vel sartam testam servet,
vel ex zelo secundum scientiam et prudentiam eandem
inter subditos reducat; libertatem vero effrenem ultra
terminos Reipublicæ et Ecclesiae positos evagari non
patiatur, quo non tantum eos beatos in civili vita, sed
etiam aeternæ beatitudinis faciat consortes.

SCHOL. Quemadmodum promiscuum de religione sen-
tiendi facultatem tam Ecclesiae quam Reipublicæ per-
niciosam esse res ipsa per se docere quemque satis pot-
est, ut immerito reprehendantur Principes, qui, qua pos-
sunt ac licet ratione, hanc credendi, ut liber, impiam
libidinem coercent; ita alienum semper a spiritu Ecclesie-
iae, et parentem scientia zelum existimavi eorum, qui
in revocandis in sinu Ecclesiae subditis nihil nisi arma
et vim clamitant (§. LXIX. LXX.). Cuiusmodi inge-
ni turpis foetus, tamquam insignis ad deformitatem puer
non inique cito e medio sublati, est libellus auctore

Bb

Io.

¹ *Hennig. loc. cit.*

² *Barthel. de eo quod iustum est circ. libert. relig. cap. 12.*

³ *Loc. cit.*

SECTIO II.

194

Io. Damiani Budae editus, quo vir hic Cimmemor haud dubiae praecepti illius divini : Ex hoc cognoscetis vos, quod discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem) demonstrare conatus est, quod Principes, Magistratus et Dinastae romano-catholici habita occasione et opportunitate possint ac debeant, acatholicos in suis ditionibus commorantes cogere etiam mediis extremis, quoties mitiora non possunt, ad amplectendam veram et unice salvificam romano-catholicam fidem.

§. CXIX.

Et in negotiis disciplinae.

Haud minus otiosa est Principum advocatia in munienda Ecclesiae tam potestate quam disciplina. Sicut enim officii esse sui vere existimat, securam eam a vi atque iniuria praestare, iura eius ac privilegia intacta conservare, auctoritatique illius, quoties executione indiget ac publico auxilio, suam adiungere, ut, *quae Ecclesiae humilitas exercere non praevalit disciplinam, cervicibus superborum potestas Principalis imponat* (§. CX.) ; ita praecipuo etiam quodam studio ecclesiasticam disciplinam prosecutos legimus piissimos Imperantes. Confirmabant canones ab Ecclesia conditos, publicisque legibus muniebant (§. XLIX.) : oblivione aut contemptu sepultos restituebant : tollebant abusus, ac reformabant severam Patrum disciplinam, aut aperte impentes, aut emollientes sensim enervantesque. Nec patiebantur facile pie a maioribus ac sapienter instituta, vel usu diurno tamquam in ius regni proprium recepta, novis, invito populo ac se inconsultis, labefactari constitutionibus : iniquum existimantes, mores, quibus diu adsevit, ut deserat, populum christianum sine fusta causa cogi, aut sine suo adsensu mutari disciplinam,

quae

CAPVT II.

195

quae publice recepta in legem abit civilem, regias non minus quam sacras potestati subiectam.

SCHOL. Conf. Petrus de Marca de conc. sacerd. et imp. praeципue libro 2. et 3. Non solum interpellati (inquit lib. 2. cap. 10. §. 1.) et rogati Principes ministerium suum ad canonum observationem commodare possunt, sed etiam ex officio in eam curam incumbere tenentur :: Ad quae officia Principes adigi putamus, non ex eo tantum capite quod ea ad felicitatem imperii conducant, quae quidem ut plurimum cum illis est coniuncta, sed ex eo etiam quod nomen suum Christo derident, eique caput suum et ipsam regiam dignitatem devoverint (§. CXI.). Et rursus lib. 4. cap. 1. §. 3. Tanta vero et tan diligens cura a Principibus adhiberi debet custodiæ canonum, ut posterum legum ecclesiasticarum quam cœlum rationem habere debant, ut monet Iustinianus in præfatione Novellæ 137. Unde paulo etiam commotio queritur Claud. Pencæus in epistola ad Tit. cap. 3. Si Principum nihil interest rerum sacrarum, cur de negotiis ecclesiasticis in Codice, in Novellis tot augustae leges atque constitutiones? tot in nostris et omnibus christianorum annalibus edicta regia? tot sacerularia consulta? Nec per abusum haec malamque usurpationem facta ab iis dicat quispiam: non enim decet quemquam dicere (ait Card. Cusanus lib. 3. conc. cath.) sanctissimos Imperatores, qui pro bono Reipublicæ de electionibus Episcoporum et collationibus beneficiorum et observatione religionis multas sacras constitutions ediderunt, errasse, et ita statuere non potuisse: immo legimus Romanum Pontificem eosdem ragasse, ut constitutiones pro cultu divino, pro bono publico etiam contra peccatores de clero ederent.

Bb 2

§. CXX.

§. CXX.

Salva civium libertate.

Ita vero defendendae Antistitum auctoritati operam impendant Reges necesse est, ut civium suorum capita, fortunas, existimationem tuta simul praestent adversus abusum sacrae potestatis. Abutentibus enim potestate sua Praelatis ecclesiarum vel contra naturalem aequitatem vel contra receptos lege canones, nihil impedit quo minus Regum implorare auxilium ii possint, qui vim et iniuriam patiuntur; exemplo Pauli auxilium *Caesaris* implorantis adversus iniuriam, quam a *Festo* metuebat, ut *Augustinus* docet;¹ *Athanasi*, qui a synodo Tyria per summum nefas absens damnatus *Constantinum* adiit, rogans ut ipse aut per se aut per novam Episcoporum synodum causam innocentiamque suam examinaret;² *Ioannis Chrysostomi* et *Theophiloi* in synodo ad *Quercum* iniquissime condemnati, et *Arcadium Imp.* exorantis, ut vim sibi contra canones illatam auctoritate sua prohiberet.³ Causam iuri, reddit *Eunomius* Episcopus Nicomediensis in libello ad Imperatores, qui in concilio Chalcedonensi lectus, et in acta synodi relatis est: *Deus vobis regnum, inquietus, et omnium rerum imperium ad salutem orbis terrarum et pacem sanctorum Ecclesiarum iuste donavit:: Vnde prosternimus nos maiestatis vestrae vestigiis, ut iubatis arceri iniustitiam, quale adversum nos a Reverentissimo Episcopo Nicaeno Anastasio est praesumta.*⁴ Similiter *Eusebius* Episcopus Dorylaei in libello ad eosdem Imperatores: *propositum est, ait, clementiae vestrae*

¹ *Epist. 185. n. 28.*

² *Natalis Alexand. sacc. IV. diss. 21.*

³ *Constantius in epist. Rom. Pontif. pag. 779.*

⁴ *Tome. 2. concil. Hard. pag. 563.*

CAPVT II.

197

stra, uniuersis quidem sibi subditis providere, et tamnum porrigerre omnibus iniuste oppressis, praecipue tamen fungentibus sacerdotio: in hoc divinitati placentes, a qua vobis imperare et dominari sub hoc sole donatum est. Ergo quoniam multa et dira:: sumus percussi a Reverentissimo Dioscoro Alexandriae magnae civitatis Episcopo, adimus vestram pietatem supplicantes iustitiam promoveri.¹ Quare mirari soloe Coelestinum Sfondratii virum utique non ineruditum, qui audacter hoc ius novum et nuper admodum mala fide usurpatum ausus est adfirmare,² cuius extant tam antiqua tamque illustria testimonia. Nomen novum est, fateor, at res ipsa vetustissima, nec Gallis tantum et Hispanis, sed omnibus regnis catholicis usitata: tametsi non ubique *appellationis* tamquam ab abuso, ut Gallis, aut ut Hispanis, recursus ad Principem nominibus usurpetur. Libertati vero ecclesiasticae qui hoc ius adversari contendunt, ii non videntur meminisse, nullam esse posse in abutendo libertatem. Abusus non libertatis est, verum licentia, cuius reprimenda si quis auferre Principibus potestati contendat, statim, non quidem sero comperiet experimento manifestissimum, inquit Covarruvias, quantum calamitatis Reipublicae inverterit. *Pratt. Quaest. cap. 33. pag. m. 213.*

SCHOL. Conf. Petrus de Marca de conc. sacerd. et imp. lib. 4. Hieronymus de Caevallo de cognitione per viam violentiae in causis ecclesiasticis. Carolus Feyret deabus. Van-Espen concordia immunit. eccl. et iuris regii. Alii.

§. CXXI.

De aliis remissive.

Atque haec de potestate Principum christianorum cir-

ca

¹ *Ibid. pag. 70.*

² *Gall. vind. diss. 3. §. 2. pag. 586.*

ca sacra, eiusque causa et origine generatim dista sunt. Singula enim, quae huic potestati insunt iura, in numero prope sunt, nec in hac systematis parte evolvenda. Reliquum est, ut quae sit potestatis sacrae ad civilem relatio, quive utramque limites continent, pacis, sed quantum fieri potest dilucide, exponamus.

CAPVT III.

DE LIMITIBVS VTRIVSQUE

POTESTATIS.

§. CXXII.

Concordia Sacerdotii et Imperii studiose colenda est.

Duplex est in orbe suprema potestas, per quam unaquaque christianorum Respublica regitur, *Sacerdotium* et *Imperium* (§. LXXVIII.) : quorum illud divinis se ministeriis impedit, vitaeque futurae beatam aeternitatem curat (§. VI.) ; hoc statim Reipublicae componit, et civilis societatis tranquillitatem vitaeque praesentis felicitatem tuetur ac promovet (§. XCII.). Utique a Deo instituta, utraque summa est (§. LXXIX.), et soli Deo subiecta in his, quae sui iuris sum (§. XCVI.): personis, muneribus, negotiis a Christo disiuncta (§. LXXVI.), et suis porro unaquaque limitibus circumscripta, quibus studiose conservandis populorum felicitas potissimum continetur. Maxima quidem, inquit Iustinianus Imp. ¹ in hominibus sunt dona Dei a superna collata clementia, *Sacerdotium* et *Imperium*; et illud quidem divinis ministrans, hoc autem humanis praevidens ac diligentiam exhibens: ex.

¹ Novell. 6.

CAPVT III.

199

uno eodemque principio utraque procedentia humanam exornant vitam. Ut autem ad conservandam regnum tranquillitatem nihil est concordia sacerdotii et imperii validius, nihil opatus; ita nihil facile ad eam perturbandum dissidio eorum pertinacius esse potest, nihil ad memoriam tristius. Itaque summo sibi studio enitendum esse arbitrati sunt doctissimi quique prudentissime viri, ut designarent limites utriusque potestati a Pribus constitutos, quibus ea, qua par est, religione custodiendis pacem colamus inter nos et concordiam, quam religionis nostrae auctor *Christus* toties discipulis suis commendavit.

SCHOL. Difficile est, factor, controversos diu et mirum quontopere confusos limites dirimere. At sunt tamen characteres quidam, sunt quaedam tamquam vestigia a maioribus haud obscure expressa, et incredibili labore, iudicio admirabili ab Illustrissimo de Marca ex omni pene antiquitate collecta, quea si seposito partium contentioso studio, abiectisque praeciducatarum opinionum perniciosis commentis, sequi constanter placet, transiti fortasse lis isthac non infelicer potest. Tentavit Locheitius nostra aetate, et si quid indicare ego de his rebus possum, tentavit egregia cum laude et ingenii et doctrinae, descripsit haud multis observationibus omnem penitus tollere controversiam. Quo, si quis docuerit rectior, sequear: tantisper huic viro adhaerendum censeo.

§. CXXIII.

Limites utriusque potestatis ex diversitate finium.

Actionum humanarum omnium finis est *vera felicitas*, caque duplex, *cetera* una potestati sacrae proposita, altera temporaria: quam potestas civilis procurat (§. CXXII.). Possunt itaque omnes cuiusvis homini-

SECTIO II.

minis actiones, qui civilis simul societatis membrum est, duplice cum relatione spectari. Refiri primum scilicet possunt ad *salutem hominis internam*, quo respectu solius est ecclesiasticae potestatis de iis iudicare, eas formare legibus, harumque contemptorem christianum consentaneis rei naturae poenis ad obsequium praestandum fieri. (§. LXV.). Easdem vero actiones quum ad *civilem populi salutem* referuntur, civilibus legibus attemperari necesse est, eiusque uniuersitatem arbitrio subici, qui summa cum potestate Reipublicae praest (§. XCV.).

SCHOL. Itaque nihil vetat quo minus potestas tam sacra quam civilis, sub diversa tamen relatione, in eadem actione christiani hominis et dirigenda legibus et poenam vindicando concurrent, quin sit necesse, alteram in alterius transire fines. Aptis rem exemplis illustravit Lochstein. part. 2. cap. 2. §. 3.

§. CXXIV.

Mediorum.

Ex finium diversa indole mediorum nascitur diversitas, per quae ad suum utraque potestas proprium sibi scopum contendit (§. VI.). Etsi enim nec profana media ad continentendo in officio christianos porsus inuidonea sint, et religionis eximia vis sit in firmanda civili populorum felicitate; saepque censorum sacer horror, quod poena civilis metus non potest, atrocissimum arcer facinus: fallit tamen quisquis vel clavum potestatem Ecclesiae a Christo traditam civitati adiudicare, vel temporales poenas infligendi ius proprium civitati contra maiorum traditionem ad Ecclesiam transferre nequidquam conatur (§. LXVIII. seqq.). Aduocate altera alteram potestas debet in procuranda humani generis felicitate; crepta alteri iura sibi vindicare non debet. Christus *memento fragilitatis humanae*, inquit Gelasius P., quod suo-

rum

CAPVT III.

201

rum saluti congrueret, dispensatione magnifica temporens, sic actionibus propriis dignitatibusque distindis officia potestatis utriusque discrevit, suis volens medicinali humilitate salvare, non humana superbia rursum intercipi, ut et christiani Imperatores pro aeterna vita Ponificibus indigerent, et Pontifices pro temporalium cursu rerum imperialibus dispositionibus uterentur: ut et modestia utriusque ordinis curaretur, ne extolleretur utroque suffultus, et competens qualitatibus actionum specialiter professio aptaretur (§. LXXIV.).

SCHOL. Lochstein loc. cit. §. 6.

§. CXXV.

Statuum.

Vt actionum (§. CXXIII.) ita etiam personarum in Republica christiana existentium alia est atque alia relatio, et pro varietate istius varia subiectio. Omnis enim christianus civili in societate constitutus Ecclesiae simul ac *civitatis membrum* est: ac proinde utriusque simul potestati suo modo subest, et utrique, quibus in rebus debet, obedientiam praestat, *Caesar* dando quod sunt *Caesaris*, et quae sunt *Dei*, *Deo* (§. LXXXVIII.). Et quamquam personarum ecclesiasticarum arctior sit quam ceterorum cum Ecclesia coniunctio propter ministerium, cui se addixerunt voto; civium tamen in numero minime esse desinunt: neque enim ministerii a Christo instituti ea natura est, ut cum officio boni civis coniungi commode non possit¹. Vtut igitur in sacri muneri functionibus obeundis Episcopi arbitrio atque Ecclesiae canonibus potissimum regantur, in ceteris tamen humanae virtutis negotiis iure reliquorum civium communiantur necesse est, colantque maiestatem Regum suorum, quibus eos haud minus quam sacerulares subditos es-

Cc

se

¹ De Marca lib. 2. cap. 7.

SECTIO II.

se opotere ex *Paulo docuit Ioan. Chrysostomus* (§. CI.).

SCHOL. *Lochstein loc. cit. §. 4. et 7.* Iustinianum Imp. reprehendit de Marca, quod de sacrae liturgiae ritibus constitutionem ediderit, quia mystica verba consecratiois Eucharistiae elata voce, non autem demissa, ut solemne erat, proferriri iubet; eo quod de ritu sacrificiorum decernere tenet, quae pars disciplinae solis sacerdotibus competit *lib. 2. cap. 6. §. 6.* Sed non minus praefinitos a Christo limites prætergressus videtur *Innocentius III.* dum ministros Ecclesie sua voluit auctoritate ab omni Principum suorum imperio exemptos (§. CVII.).

§. CXXVI.

Bonorum.

Non magis arduum fuerit aequos definire limites iuris in bona ecclesiastica, si modo patientem veri animum adferre volumus, et rem ex se, non ex nostra cupiditate aestimare. Rerum ecclesiasticorum duo possunt distinguiri genera: unum earum est, quae ad cultum *Dei* externum omnino necessariae sunt, veluti templa, altaria, calices, et si quae sunt aliae his similes: alterum vero illarum, quae aliendis Ecclesiae ministris, parandoque ornatum addicta sunt, ut decimae, praedia, domus, alia. *Illae*, tamquam *Deo* sacrae Ecclesiae directioni relictae sunt, neque extra casum impendentes publicae necessitatis in aliis usus convertenda. At, quae res ex genere sunt posteriore, eas imperio civili quis subduxit? Etsi enim Ecclesiae bona sint propria, etsi aliendis eius ministris pauperibusque destinata, num ob id minus quam aliorum in territorio civitatis sita bona eminenti eius iuri obnoxia sunt? (CVII.).

SCHOL. *Lochstein loc. cit. §. 8.* Opposuit quidem *Lochsteinio dissertationem* bene longam *Anselm. Molitor* alio iam loco a nobis citatam, sed multa disserendo nihil proficit. AEquior est *Antonius Schmidt*, *Instit. iur. eccl.*

CAPVT III.

²⁰³ *eccl. Rom. 1. cap. 2. seß. 2. art. 2.* nec is tamen s'cho-
lasticorum imperi receptis præiudiciis, tametsi callide te-
ctis, vacuus.

§. CXXVII.

Obiecti.

Liquidiores sunt ceteris, et a veteribus luculentius expressi limites, quibus duas istas potestates obiecti, circa quod versantur, natura circumscripit. Videntur autem his posse regulis commode comprehendendi. (1) *In iis o-
mnibus, quae sunt mere spiritualia, libero Ecclesia at-
que independente ture gaudet, perinde ut (2) temporalia
omnia soli in Republica summar potestati subiiciuntur* (§. XCV. LXXIV.). Quod si qua sunt per se quidem profana, arbitrio tamen nexu cum spiritualibus cohaerentia, ea (3) mixti fori negotia sunt habenda, atque ideo utriusque potestati ex aequo subiicienda, repudiata canonistarum vulgata quidem, sed inepta regula: *spi-
rituale tamquam nobiliss. trahit post se temporale: qua
egregie illi saepe abusus sunt* i. Ex quo consequens est (4), ut in utrinque Imperantis potestate sit positum sancitis pro auctoritate legibus certam iis formam præ-
scribere, ita ut (5) canones ab Ecclesia de hoc genere negotiorum conditi tum demum vim publicae legis sor-
tiantur, cum civilis Imperantis confirmatio accesserit. Si demum (6) his omnibus pacato studio expensi orta de iure quæstio dirimi minime possit, non armis nec cen-
suri, sed amico utriusque Principis consensu expedien-
da est. Quae sopiaudientia huius generis litium ratio non modo humanitati magis congrua, et saluti populosum se-
curitatique magis utilis, verum etiam præcepta est; quippe quae sola religionis christiana lenitati consentanea est, sola consentiens mansuetudini Ecclesiae. Quac *S. Am-
brosii* exemplo edocita dolere quidem potest, potest fle-

¹⁶³ *1. Lochstein loc. cit. §. 1. 2.*

SECTIO II.

re; adversus arma, milites, lacrymae eius arma sunt; talia enim sunt munimenta sacerdotum; aliter nec debet, nec potest resistere (§. C.). Meminerint autem Reges quoque ac Principes huius mundi, sive angatur pax et disciplina Ecclesiae per fidèles Principes, sive solvatur, Deum ab eis exaltur rationem, qui corum potestati suam Ecclesiam credidit (§. CX.).

SCHOL. Lochstein loc. cit. §. 9. seqq. Ill. de Rieger
Instit. iurisp. eccles. §. 352. seqq.

§. CXXVIII.

Conclusio.

Atque haec sunt, amici, quae de Ecclesia a Christo instituta, de potestate illius ac regimine, huiusque ad civile regimen habitu, meo more explicare generatim vobis apud animum meum constitui. An id, quod unice intendebam, ut, qui me vobis ducem in hoc studio elegistis, haberetis, quod in tam ancipiiti argomento tuto sequi possitis, adsequutus sim, adfirmare, etsi velim, non audeo. Conabar id quidem certe. Sed absuerunt multa et absuerunt non mea culpa, quibus instruūtum largiter doctorem esse oportet, qui in hac studii istius parte versari cum aliqua nominis sui commendatione desiderat. In his subsidiorum tantis angustiis vereor, ne ignoranti exciderint non pauca, quae emendatione egeant. Nec deerunt alia, quae dici concinnius, plura, quae alio loco dici potuerint: sed vos quidem spero faventes me habiturum iudices.

F I N I S.

